



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæst. VI. De Distinctione Formalis ex natura rei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

RESPONDETUR. Non esse quidem in objecto partialitatem prout spectato à parte rei, esse tamen in objecto metaphysicè, & prout subest nostris intentionibus spectato, hæcque partialitas objectiva pro statu intentionali, non probatur quod repugnet.

Noro I. Quæ sit distinctio inter præcisiones objectivas, quas concessimus in Divinis à Præcisionibus, quas concessimus in creatis. *Prima* est ratione fundamenti quia Fundamentum Præcisionum objectivarum in Divinis est distinctio virtualis in ordine ad prædicata primò intentionalia (supple inter extrema quorum unum est absolutum v. g. natura, aliud Relativum v. g. Paternitas.) In creatis autem Fundamentum Præcisionum objectivarum, est distinctio virtualis nonnisi ad Prædicata secundò intentionalia. Unde etiam fabricat potius intellectus Objectum quod præscindit, in Divinis autem, reperit Virtualitatem absolutam, non esse Virtualitatem Relativam. *Secunda* distinctio est, quia quando noscitur v. g. Natura communicari, tunc ne in sensu quidem reali, noscitur Paternitas communicari, quando autem noscitur v. g. Animalitas Petri esse vivens sensitivum, tum in sensu reali noscitur etiam Rationalitas esse vivens sensitivum. Conveniunt autem in hoc tam Præcisio objectiva Formalitatis absolutæ & Relativæ in Divinis quam Præcisio objectiva in creatis, quod in objecto prout attacto, & pro statu intentionali, prout respondente præcisioni formali &c. non respondeat Formalitas altera, illi identificata realiter. Cæterum inter Præcisiones objectivas in creatis & inter Præcisiones objectivas in Divinis inter Prædicata absoluta, inter se comparata, vel inter Prædicata & Relativa idè inter se comparata, nulla est diversitas.

Noro II. Quæ sit distinctio nostræ sententiæ, à sententia præscindentium nonnisi ex parte actus. Convenit utraq; sententia in hoc, quod ex parte cognitionis, & verbi mentis, sit inibi diversitas: item, quod status intentionalis, sit status oriundus à parte actus: item, quod actus, & status intentionalis infunderetur entitati, habenti sua diversa connotata. Differunt in hoc, quia nostra sententia, in ipso objecto prout representato, prout respondente, prout terminante cognitione, admittit alicuius unius formalitatis ab alia, stantem in hoc: quia v. g. Animalitas, ita tunc representatur, respondet, terminat cognitionem ac si in verum natura non esset Rationalitas: licet si comparetur Animalitas ad seipsam prout est à parte rei, re vera in sensu reali cognoscatur tunc etiam Rationalitas.

Noro III. Quomodo distinguantur inter se Virtualitates, quæ admittuntur in Naturam & Personalitates, & Virtualitates quæ admittuntur in creatis. Distinguuntur imprimis: quia Virtualitates in Divinis sunt ad prædicata primò intentionalia: in creatis, ad prædicata secundò

intentionalia. Deinde, quia alia est virtualiter nemine cogitante Virtualitas naturæ, alia Virtualitas Paternitatis, virtualiter nemine cogitante; idque ex eo, quia prædicatum *communicari* nemine cogitante competit naturæ, prædicatum autem *non communicari* nemine cogitante convenit Paternitati. Jam autem in creatis virtualiter quidem distinguuntur Animalitas & Rationalitas, in Petro; Virtualitas tamen unius in sensu reali est virtualitas alterius, idque ex eo; quia quod competit in sensu reali & formali animalitati, in sensu etiam reali competit Rationalitati; ad eum plane modum, quo datur à parte rei Animal, sed non distinctum nemine cogitante.

QUÆSTIO IV.

De Distinctione Formali ex Natura rei.

PRÆMITTO I. *Non queri hic: an Formaliter ex Naturæ rei distinguantur Individua vel Species*, non est enim dubium, quod Bucephalus & Alexander, non solum realiter, sed etiam essentialiter seu ex natura rei sint distincti, alias non differrent specie, sed se haberent sicut Petrus & Joannes.

Queritur ergo hic, An ea distinctio ex Natura rei reperiatur inter formalitates, intra unam eandemq; indivisam Entitatem reperiibiles, v. g. An formalitas rationalitatis, non sit nemine cogitante actu formalitas animalitatis in eodem v. g. Petro.

PRÆMITTO II. *Quando queritur: an sint in uno eodemq; Petro plures formalitates, non queritur an sint forma distinctæ*, inter formas enim est distinctio realis, qualis est inter albedinem & nigredinem; sed queritur: an sint plures formalitates, quæ stent cum identitate reali, habeant tamen quidditatem, essentiam, conceptibilitatem objectivam nemine cogitante distinctam.

PRÆMITTO III. *In hoc esse Statum questionis*: Aliqui Auctores Scotum ut putant secuti, tenent distinctionem quandam, quæ non sit realis proprie, qualis est inter albedinem & dulcedinem; quæ item non sit distinctio rationis, qualis est inter definitivum & definitionem; quæ denique non sit modalis, eo quod illæ formalitates non adferant ullam propriam Entitatem. Volunt tamen isti Auctores dictam distinctionem esse plus quam Rationis; quia est nemine cogitante, volunt esse minorem reali; quia non est inter Res & res; sed intra unam eandemq; rem non realiter sed formaliter diversam. Volunt esse Minorem distinctionem modali, quia modus condistinctam Entitatem physicam importat, formalitates autem sunt intra eandem physicam Entitatem. De tali ergo distinctione queritur an detur?

PRÆMITTO IV. *Quæ sit istius Distinctionis definitio.*

definitio. Est enim aliter duarum rationum & formalitatum objectivarum, intra unam eandem realitatem v. g. quia alius est Conceptus objectivus animalis in Petro, alius Conceptus rationalis objectivus in eodem, ideo inter se ista distinguuntur formaliter ex natura rei.

PRÆMITTO V. *Signum huius distinctionis ex natura rei communiter statui, aliam & aliam definitibilitatem*, ita ut illa sint distincta formaliter ex natura rei, quorum unum, alia, & aliud alia definitione, definibile est. Mastrius id hac phrasi exprimit: quod signum Distinctionis formalis sit Separabilitas duorum secundum conceptibilitatem ex natura rei exigitam, in ordine ad intellectum propriè & adæquatè concipientem.

PRÆMITTO VI. *Sensum Doctorum de Mente Scoti.* Aliqui cum Hurtado disp. 6. Metaph. Sec. 3. n. 27. docent Scotum admisisse nonnisi distinctionem virtuales qualis à nobis supra tradita. Colligitur id ex Verbis Scoti in primum distinct. 2. quæst. 7. sub finem numeri 43. Sed nunquid inquit hæc distinctio dicitur realis. Respondeo, inquit, non est propriè realis, actualis &c. quia in una persona non est aliqua differentia rerum, propter simplicitatem divinam, & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis, quia nihil est ibi in potentia, quod non est in actu. Potest autem vocari differentia rationis, sicut dicit Doctor quidam, non quod ratio accipitur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundum quod quidditas est objectum intellectus, vel alio modo potest vocari differentia virtualis: quia illud quod habet talem distinctionem in se non habet rem & rem, sed est una res, habens virtualiter sive eminenter, quasi duas realitates: Rursus quia ibidem num. 44. ponit hæc Verba Scotus. Nunquid igitur debet concedi aliqua distinctio? Respondeo, inquit, Melius est uti ista negativa: hoc non est formaliter idem, quam quod est sic & sic distinctum, quæ verba cur posuisset, si requisivisset distinctionem actualem? Et inferius: Breviter igitur dico omittendo illa Verba de Distinctione Rationis, & de Distinctione virtuali, non quia sint malè dicta, sed quia non oportet eis uti. Si autem voluisset ipse invchere distinctionem actualem, debuisset dicere quod illa de distinctione rationis sint dicta malè, quia contradictoriè ad suam doctrinam. Non actualis enim distinctio actuali distinctioni contradictoriè opponitur. Denique per ipsum sufficit ibide, in quod v. g. intellectus paternus considerans A. v. g. Paternitatem suam, & considerans B. supple essentiam suam habet ex natura rei, unde ista Compositio sit vera, A. non est formaliter B. non autem præcisè ex aliquo actu intellectus circa A. & B. quæ Verba & doctrina Scoti, salvabitur etiam si illa distinctio non sit actualis, sed cum fundamento in re, nam etiam verificabitur tunc propositio, quod non præcisè

ex aliquo actu intellectus circa A. & B. sit distinctio, sed ratione fundamenti in re.

Vide Raynaudum in Theolog. naturali distinct. 6. quæstione 2. art. 1. num. 66. qui recitat multos Scotistas idem sentientes. Nempe Rubionium in 1. D. 8. in fine Tartaretum Quod 1. A. 2. circa Concl. 3. & in 1. D. 2. p. 2. Q. 7. Oyra apud Gabr. in 1. D. 2. Q. 11. Phil. Fabrum cap. 8. Formalit. Picum Concl. 7. ex propriis Vales. Physic. cap. 3. Javellum 12. Metaph. Q. 19 licet Mastr. D. 6. Metaph. num. 2. 6. soli id Herrera tribuat.

Sed quod posuerit distinctionem hanc actualem, docet Vasquez, fatenturque passim alii Scotiste. Fundamentum inter alia ex Vasquez est, quia si nonnisi distinctionem virtuales admisset, quorsum diceret tam formidanter loco citato num. 41. quia scilicet id sine assertionem, & præiudicio sententiæ melioris dicit. Ad quod ipsum responderi Hurtado illum cum formidine ideo locutum, quia se opposuit Thomistis & admisit præcisiones objectivas, seu formalitates correspondentes ex parte objecti ut colligitur ex Greg. in primum quæst. 8. art. 2. quæ acceptio formalitatis erat tunc nova adeoque examinari posterorum subiicienda.

Citat Mastrius textum Scoti desumptum in 1. Dist. 8. q. 4. §. ad quæstionem respondeo. Dico quod inter perfectiones essentielles non est tantum differentia rationis h. e. diversorum modorum concipiendi idem objectum formale, sic nec est ibi tantum distinctio objectorum formalium in intellectu, quia ut argutum est prius, illa nunquam est in cognitione intuitiva, nisi sit in objecto intuitivè cognito, est ergo ibi Distinctio tertia præcedens intellectum omni modo.

Sed etiam huic textui responderi possit, quod præcedat actu ac quoad suum esse fundamentale, quo etiam modo intelligi debent illa Verba Scoti. Intelligo inquit sic quod intellectus componens ista: Sapientia non est bonitas: formaliter non causat actu suo collativo Veritatem istius compositionis, sed in objecto invenit extrema, ex quorum compositione fit actus verus. Circa quem textum ut dixi, potest responderi, quod inveniat Veritas istius compositionis, quoad suum fundamentum, adeoque ut ipsum fundamentum, sit ex natura rei, non autem, quod in Objecto inveniantur extrema actu distincta, importantiaque actualium formalitatum multipliciter: Vel recinendo phrasim Scoti reperit illic actu distinctionem virtuales. Cæterum de mente Scoti, putato deferendum esse auctoritati Scholæ, constanter hanc sententiam statim à temporibus Scoti defendit, ipsaque traditione mentem Magistri didicit.

PRÆMITTO VII. *Divisionem formalitatum.* Dividuntur formalitates in formales seu Essentiales proprias & Accidentales. Formales, sunt Gradus Metaphysici, ita dicti quia sicut per gradus

gradus ascenditur & descenditur, ita ab inferioribus prædicatis v. g. à rationabilitate ad sensitivitatem tanquam ad superius prædicatum. Et è Converso à superioribus ad inferiora transiunt. Formalitates autem propriæ, sunt proprietates Entis Metaphysici, ut Risibilitas. Relationes transcendentales & secundarii conceptus. Accidentales autem formalitates, sunt accidentia Metaphysica, ad quantum prædicabile pertinentia.

Rursus dividuntur Formalitates in negativas ut Affectas, & Positivas ut Abalietas. Dividuntur item in Formalitates ad intrinsecum ut similitas, & ad extrinsecum ut cœna. Dividuntur item formalitates Scotisticæ in quidditativas & modales. Formalitates quidditativæ, sunt rationes tales, quæ extrahunt naturam, cui adveniunt, extra suum gradum: ita rationalitas extrahit gradum animalis ad esse hominis. Formalitates autem modales non extrahunt, & ita Existentiæ addita Essentiæ non extrahit essentiam ultra gradum essentiæ.

Dividuntur ulterius Formalitates Scotisticæ in Formalitates extrinsecus advenientes, & intrinsecus advenientes. Extrinsecus advenientes sunt per Scotum 6. posteriora prædicamenta: *His præmissis*

DICENDUM est. *Distinctionem Formalem ex natura rei præcisè & secundum se spectatam, quæ tamen sit actu nemine cogitante, non dari.* Est Conclusio Thomistarum & Nostrorum excepto in oppositum ex antiquioribus inclinante Fonseca & ex recentioribus Mauro. Est autem contra non paucos Scotistas, & illorum sequaces.

Punctum Difficultatis 1.

Examinantur Rationes.

Quod non detur Distinctio ex natura rei.

PROBAT 1. Hurtado Disp. 5. Metaph. Sec. 3. Si à parte rei ante actum intellectus animalis Petri distingueretur à rationalitate Petri, esset quid reale independentem à rationalitate, quia definitio Entis realis est, quod possit existere ante intellectum à parte rei. Sed hoc est absurdum. Ergo

RESPONDERI potest huic argumento, Animalitatem esse quid reale nemine cogitante, id est independentem à nostris Conceptibus, sed non esse reale, hoc est separabile, & ratum. Consequenter nec prædicta definitio illi conveniet. Idem alii ita solvunt. Animalitatem non esse quid realiter à re denominatum reale, sed esse quid reale denominatum à Ly realiter, hoc est nemine cogitante.

INSTAT I. Oviedo, si animalitas & rationalitas nemine cogitante distinguuntur actu in homine. Ergo erunt duæ formalitates. Ergo &

duæ entitates. Ergo ita distinguuntur sicut Materia & forma. Ergo realiter.

RESPONDERI potest. Esse illic duas entitates hoc est aliqua duo independentia à nostris conceptibus. Sed non esse duas entitates, hoc est duo habentia jus existendi sine se, quocunque modo à parte rei; consequenter non erunt sicut Materia & Forma. Ex phrasi etiam quam attigit Oviedo, non erunt illic duæ entitates, hoc est duo entia realia & separabilia, sed tantum illic fore duas entitates, hoc est quidditates, obijcibiles, definibilesque diversas.

INSTAT II. Animalitas & rationalitas si distinguuntur nemine cogitante actu in homine, nihil deerit quominus dicantur esse distincta realiter rigorosè.

RESPONDERI potest. Deesse ipsam separabilitatem realem.

INSTAT III. Idem. Separatio unius entitatis non constituit distinctionem sed solum supponit. Idcirco enim hæc Entitas potest ab alia separari, quia ab illa distinguitur. Ergo dicendum non est, entitatem animalitatis non distingui realiter ab entitate rationalitatis, quia non possunt separari à se.

RESPONDERI potest. Quod prior sit distinctio quam separabilitas in ordine ad objectum, non verò in ordine ad nos. Separabilitas enim est signum distinctionis necessarium, unde si signum necessarium distinctionis realis, animal & rationale non habent in homine, neque distinctionem habebunt per ordinem ad nos.

Restitui tamen hoc argumentum posset via negativa, scilicet nihil illis formalitatibus deesse, ut denominentur reales à re, nihil deesse, ut sint separabiles si nemine cogitante una, non est formaliter alia.

PROBARI solet II. Ex Suarez, si daretur hæc distinctio actualis inter animal & rationale in homine, daretur etiam, inter essentiam existentem & ejus singularitatem. Hoc dici non potest, quia essentia existens, etiam ut distincta à singularitate, adhuc est singularis, omne enim quod est à parte rei, singulare est.

RESPONDERI posset. In istis principiis quod essentia existens prout scilicet condistincta à singularitate non sit singularis formaliter, sicut nec animal prout condistinctum à rationali, est homo. Et licet omne quod existit, debeat esse singulare realiter, hoc est singularitate sibi identificata realiter, non est tamen necesse, ut sit singulare formaliter seu ex natura rei, definibiles enim unius & quidditas, non est ex natura rei quidditas alterius. Breviter ergo essentia existens etiam prout distincta formaliter ex natura rei, est realitas singularis, sed non est singularis ex natura rei.

PROBARI posset III. Ex Arriaga. Quia si una ratio distingueretur nemine cogitante actu ab alia,

ab alia, tunc nemine cogitante gradus superior, deberet esse per modum indifferentis ad hanc vel illam specificam differentiam. Hoc non potest dici, quia aliàs ratio Entis & substantiæ, quæ est in Angelo vel anima rationali, posset esse in lapide quod falsum est; aliàs neque Angelus, neque anima rationalis, omnino essent spirituales, siquidem continerent hanc rationem, quæ posset esse in lapide, quæ nullo modo est spiritualis.

RESPONDERI potest. Esse aliquid in Angelo, quod ex natura rei potest non esse Angelus, sed & potest esse ex natura rei in lapide, idque ideo: quia ex natura rei, substantia, non est determinata, ut sit non nisi Angelus, aliàs lapis non esset substantia. Continebit ergo rationem substantiæ Angelus, quæ ex natura rei posset esse, in lapide licet propter identitatem realem, prædicatum Angeli, non possit esse physice in lapide, quia physice illa Substantia est Angelus, physice spiritualis, lapis autem non est physice Angelus, nec physice spiritualis.

Plures in hac Materia probationes refutatas, vide in prima parte.

Punctum Difficultatis 2.

Probatur Conclusio.

PROBATUR I. Ratione mei in Philosophia Professoris, P. Pauli Kuhn, Viri in speculativis solidè docti, in humanioribus acutissimi. Ista distinctio & esset nemine cogitante actu ut supponitur, & non esset ut probatur, quia hi duo Termini ex natura rei & tamen nemine cogitante. Item, ut sic, & tamen præciso opere intellectus, repugnant sibi & falsificantes propositiones constituunt, quia particula *Ex natura rei* importat semper suppositionem simplicem Terminorum seu prædicatorum essentialium ut fatetur Fonseca lib. 1. Metaph. cap. 6. quæst. 6. Hinc Hurtadus objicit Fonseca inconsequentiam, quod gradus sumat in suppositione simplici, & tamen dicat eos præciso opere intellectus distinguui.

Hic ipse medius Terminus sic aliter proponitur: quia & esset hæc distinctio actu nemine cogitante, & non esset nemine cogitante. Esset ut supponitur, non esset autem, quia nec objectum illius est nemine cogitante. Quod ipsum

PROBATUR. Objectum quod fit vi abstractionis non est nemine cogitante, quia nec ipsa abstractio utpote species intellectionis, est nemine cogitante: Sed objectum quod deberet distinguui illa distinctione, fit per nostras abstractiones. Quod ipsum

PROBATUR. Tum quia si respiciantur Oppositum sentientium Summulæ, videaturque exemplum Termini abstracti Metaphysici, illud erit: Animal ut sic, animalitas secundum se spectata &c. Tum quia si comparentur inter se objectum quod fit vi abstractionis, & objectum illius distinctionis, quæ tamen debet esse actu nemine cogitante, nullo modo illa objecta distinguuntur inter se. Ergo si objectum ipsius abstractionis, non est nemine cogitante, ita nec objectum illius distinctionis, erit nemine cogitante. Tum quia si prædictum objectum est nemine cogitante tollitur sententia tam de præcisionibus formalibus, quam objectivis, de præcisionibus quidem formalibus, in quantum illæ habent jus, ut illis respondeant præcisiones objectivæ, quia non possent habere jam objectum à se præcindendum, tollerentur item præcisiones objectivæ, quia illæ respondent non nisi nostris cogitationibus, haberentur autem jam tunc sine nostris cogitationibus.

RESPONDEBIS I. Non fore tunc adhuc abstractum, quia ad abstractionem adhuc requiritur ut id quod est distinctum nemine cogitante, cognoscatur.

CONTRA EST, quia stat adhuc impossibilem esse præcisionem formalem, cum jure, ut illi respondeat præcisum objectivè, quod probatur, quia cujus effectus est impossibilis, & ipsum si se habeat per modum causæ est impossibile, ut aliunde scitur. Præcisio autem formalis, cum jure præcendiendi objectivè, habet se per modum causæ ut ostendit ipsa suppositio, in qua hic agimus, effectus autem illius esset impossibilis; quia illa præcisio, non præcinderet seipsam, nec præcinderet objectum, cum jam inveniat præcisum. Et certè arguendo à manifestioribus ad ignotiora, ita se habet præcisio formalis in Intentionalibus, sicut se habet scissio physica in esse physico; sed si omnia essent scissa physice, & impossibile esset scissibile de novo, impossibile esset scissio physica de novo. Ergo etiam impossibili scissione objectivi de novo, cum jam omnia præcisæ inveniantur, impossibilis erit in Intentionalibus, præcisio formalis nova.

Rursus vi ipsius responsionis non in alio staret præcisio, abstractio &c. quam in eo quod est jam præcisum & abstractum antecederet, cognoscere præcisum & abstractum, hoc autem non est præcindere nec abstrahere, sed præcisum & abstractum attingere.

RESPONDEBIS II. Abstractionem præcisionemque objectivam, dari nemine cogitante actu.

CONTRA. Quia contra hoc redibunt argumenta tertio loco ponenda. Deinde quia hæc responsio sine ullo fundamento aufert intellectui potestatem, novas & non præcisas rationes, ponendi, cum fundamento in re.

Ra-

RESPONDEBIS III. Naturam secundum se spectatam non arguere rationem abstractam, nam essentia Divina in sententia Scoti potest cognosci cognitione intuitiva, præcisa à personis.

CONTRA est, quia hæc responsio solum ostendit, quod etiam ratio abstracta aliqua, supposita abstractione, possit notitia intuitiva etiam attingi, de quo hic non quæritur. Deinde Virtualitas ipsa, conveniens Naturæ Divinæ, comparatæ ad Personas, facit ut una virtualitas non sit alia, idque cum identitate reali, quæ ipsa etiam specialiter facit, ut intuitivè videri possit, etiam non interveniente abstractione; similis autem virtualitas non habetur in creatis secundum dicta supra. Quod autem per præcisionem maneat Natura depurata à differentis dicitur esse communem Scotistarum Magistrus D. 4. Logica num. 18. & num. 20. agens de universali Logico.

PROBATUR II. Ab Inconvenienti. Imprimis vi hujus distinctionis positæ in creatis, sequitur posse etiam in creatis, esse Mystrium Trinitatis. Quod ipsum

PROBATUR. Ponere non esse in Deo distinctionem formalem ex Naturæ rei, tunc non posset salvari, quod communicetur Natura Divina non communicata Paternitate, per hanc enim distinctionem prædictam difficultatem salvant. Ergo cum per illos detur distinctio hæc in creatis, poterit etiam in creatis salvare ut communicetur Natura creata, & non communicetur identificata illi realiter v. g. substantia.

RESPONDERI Posset I. Non dari Naturam creatam, quæ sit Capax communicari alteri non communicata personalitate.

CONTRA. Ideo non daretur cum tali capacitate Natura creata, quia & communicaretur & non communicaretur; si autem id formalis ex natura rei distinctio salvat in Divinis, cur non salvabit in creatis.

RESPONDETUR. II. Non erit adhuc Trinitas in creatis, quia non erit à se.

CONTRA. Data distinctione hac in creatis, sicut datur in Divinis, quæro quare implicabit Trinitas creata seu ab alio.

RESPONDETUR. III. Ideo in Divinis communicari Naturam non communicata personalitate, quia Natura Divina est infinita quæcunque autem Natura & Substantia creata debet esse finita.

CONTRA. Non ex infinitate habet hoc Natura Divina, quod sine contradictione possit communicari non communicata personalitate, sed beneficio distinctionis formalis ex Natura rei. Tum quia ipsi Scotistæ non per infinitudinem salvant ista contradictoria, sed per Distinctionem ex Natura rei. Tum quia concedimus nos in Deo infinitatem, & negamus Distinctionem actualem ex Natura rei nemine co-

gitante, & tamen Scotistæ obijciunt nobis quod non salvemus, quomodo Natura communicetur non communicata personalitate. Apparet ergo infinitudinem, non esse salvativam horum contradictoriorum. Tum quia si infinitudo est medium salvandi ista contradictoria prædicata, frustra jam poneretur Distinctio ex Natura rei in Divinis. Ex quibus ulterius infertur. Ergo cum contineat Natura finita distinctionem istam ex Natura rei, salvativam contradictoriorum poterit beneficio ejusdem communicari natura creata, non communicata personalitate, quæ illi identificatur.

Hoc in præfati inculcatur; cur implicat Natura finita, potens communicari, non communicata personalitate identificata, modo sit, cæteroqui capax ejus distinctionis, quæ id salvat infinita.

RESPONDEBIS IV. Non posse communicari Naturam creatam, non communicata personalitate, quia in Deo est distinctio ex Natura rei conjuncta distinctioni virtuali, in creatis autem illi non conjungitur.

CONTRA. Quia posita sola distinctione virtuali in Divinis, & non posita distinctione scotistica, vel salvantur illa duo communicari & non communicari, vel non salvantur. Si salvantur, superfluet distinctio Scotistica; si non salvantur, hoc ipso non erit distinctio illa virtualis, aut si illa datur, superfluet distinctio ex Natura rei.

RESPONDEBIS V. Sunt aliqua prædicata quæ conveniunt essentiæ ex vi essentiæ, qualia sunt quod ex vi essentiæ suæ, animalitas sit principium sentiendi & non rationalitas; alia autem sunt prædicata, quæ conveniunt ex vi existentie, qualia sunt produci & non produci, communicari & non communicari. Datur ergo distinctio ex Natura rei in creatis, salvans prædicata contradictoria respectu eorum, quæ conveniunt essentiæ ex vi essentiæ, non verò quæ conveniunt naturæ creatæ, ex vi Existentiæ.

CONTRA. Quia ex vi essentiæ convenit Naturæ Divinæ communicari, quia ex vi Naturæ, quæ est communicabilis. Ergo cum detur in creatis distinctio ex Natura rei, ad prædicata convenientia ex vi essentiæ, quantumvis contradictoria, etiam ad communicari dabitur. Rursus. Existentiæ vel distinguitur ex natura rei, vel non distinguitur; si non distinguitur, Ergo si convenit creaturæ habere distinctionem ex natura rei ad prædicata contradictoria ex vi essentiæ, habebit etiam ad convenientia ex vi existentie; si autem distinguitur Essentiæ ab Existentiæ ex Natura rei, stabit quærere. Cur in ordine ad hæc habeatur distinctio ex Natura rei, non in ordine ad illa? Denique quærere restat. Cur non nisi ex vi Existentiæ convenient in creatis communicari & non communicari, jam verò in Divinis, ex vi essentiæ? Cur item si

† ○ datur

datur hæc distinctio formalis ex Natura rei in creatis salvans contradictoria ex vi essentia, non dabitur salvans contradictoria ex vi existentia.

II. INCONVENIENS est, quia si daretur nemine cogitante ista distinctio, daretur aliquid quod actu & nemine cogitante à parte rei neque esset Creatum neque Increatum, cuius oppositum docent Patres; dum ajunt universaliter: quidquid est à parte rei, vel est Creatum vel Increatum. Neque damnandi sunt Patres quasi non attenderint ad Essentias rerum, quæ certè tunc non erant illis incognitæ, tanquam iis qui disputabant etiam cum Philosophis Ethnicis.

III. INCONVENIENS est, quia per aliquos datur hæc distinctio in creatis non datur in Divinis, quod videtur in consequenter dici; posset enim adferri DEUM esse simplicem Physicè sed non Metaphysicè adhucque etiam ipsius essentiam ex vi essentia secundum se spectatæ non esse existentiam, probarique poterit implicare in illo simplicitatem etiam Metaphysicam, rationum communium.

CONFIRMATUR. Quia videtur doceri aliquid ab hac Sententia impossibile. Erat v. g. ubi identificatum realiter locato, ita ut verum esset dicere: ubi est nemine cogitante hoc locatum, manet idem entitativè; mutat locum, veraque evadet Propositio: Illud ubi, non est nemine cogitante hoc locatum, & sic de reliquis Formalitatibus. Docet ergo hæc Sententia: Quod possit aliquid identificari alteri adæquatè, manente tamen illo nemine cogitante, non manere. Et tamen hoc nimium ferit imaginationem. Durum item videtur dicere, quod dum perit formalitas maneat in re, & tamen de illa manente in re verum est dicere: Non est nemine cogitante. Videtur enim per hoc auferri tota doctrina de rerum identificatione & prædicatione identificationem sequenti.

PROBATUR III. *Principiis Negativis.*

I. PRINCIPIMUM est, quia esset actu nemine cogitante ista distinctio ut supponitur & non esset, quia non sunt multiplicanda Entia sine necessitate. Ergo nec unitates, quæ sequuntur Ens, discernendæ. Totum autem hoc quod illi volunt salvare, bene salvari potest, quod non sit à parte rei actu, sed nonnisi fundamentaliter, & quod totum id habeatur in solo statu intentionali, vel nobis cum fundamento in re, cogitantibus. Idem sic aliter proponitur. Non implicat Contradictionem talis identitas inter animal & rationale petri, ut nulla sit eorum actualis alietas, sed tantum fundamentalis & alietas actualis pro statu nonnisi intentionali, nec est ullum fundamentum, quo probetur talem identitatem de facto non dari. Ergo nulla est necessitas istius distin-

ctionis ex Natura rei tanquam multiplicantis formalitates sine necessitate.

II. PRINCIPIMUM est, quia nullum fundamentum est hujus distinctionis, quod ipsum sic proponitur. Quia & esset fundamentum hujus distinctionis actualis, & ipsum actuale, aliàs sine fundamento adeoque fictitia esset, & non esset fundamentum illius actuale, quia ostendi non posset.

RESPONDEBIS I. Diversam definibilitatem esse signum distinctionis dictæ.

CONTRA. Tum quia nego, quod animalitas Petri, habeat à parte rei, diversam actu definibilitatem à rationalitate Petri, sed nonnisi fundamentaliter, & prout subest nostris Intentionibus secundis Tum quia, aliter Accive, aliter Declivè definiuntur & tamè non distinguuntur ex Natura rei. Tum quia distinctio Rationis Ratiocinantis, non est nemine cogitante & tamen est inter extrema diversimodè definibilia. Nam definitio est clarior suo definito, aliter autem est definibilis definitio, aliter definitum, aut ad minimum, claritas competens definitioni, aliter definitur, à non claritate definiti, neque tamen definitio & definitum distinguuntur ex Naturæ rei.

RESPONDEBIS II. Signum distinctionis ex Natura rei esse convenientiam prædicatorum Contradictorium.

CONTRA. Quia inter Accive & Declivè datur hæc convenientia contradictoriorum nempe sursum & non sursum, & tamen hæc non distinguuntur ex Natura rei, imò id urgeri potest de quocunque, quod tu ipse sentis non distingui ex Naturæ rei. Convenit item definitioni Ly: Est clarior suo definito, quod prædicatum non convenit definito, neque tamen in hoc duo distinguuntur ex Natura rei.

RESPONDEBIS III. Signum distinctionis hujus, esse separabilitatem unius ab alio secundum conceptibilitatem ex Natura rei exigitam.

CONTRA. Quia de hoc ipso quæritur, quid sit actu illa separabilitas conceptibilitatis ex Natura rei exigita. Præcipue autem, quia per multos ex Scolasticis, tribuitur distingui ex Naturæ rei à rationalitate, nec tamen separabilia sunt. Idemque in aliis reperire est. Rursus: Cur hæc separabilitas unius ab alio, secundum conceptibilitatem, ex Naturæ rei exigitam, non potest fundare solam distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ tamen non est actualis. Denique ipsa hæc separabilitas animalitatis in Petro v. g. non est actualis, sed fundamentalis, in quantum scilicet reperitur animalitas in alio individuo, sed alia, sine rationalitate. Sed de hac separatione vide infra.

III. PRINCIPIMUM est: Quia non habetur Principium per quod aliquid distingui ex Natura rei

ra rei actu possit. Quod ipsum sic proponitur.

Si daretur Distinctio formalis ex Natura rei nemine cogitante actu, tunc distinctum nemine cogitante actu, non esset distinctum nemine cogitante actu, quia non haberet principium distinctionis ex Natura rei actu, quia ipsum illud distinguendum ex Natura rei actu, distinguitur ab ipsamet distinctione ex Natura rei actu, cum alia sit ejus definibilitas, alia conceptibilitas &c. alia convenientia contradictoriorum, ipsimet distinctioni ex Natura rei, & alia convenient ipsimet extremis. Ergo jam distinguuntur illa extrema, ab ipsomet principio distinguendi, nempe distinctione ex Natura rei. Ergo cum illud Principium non habeant in se, eò quod illa extrema distinguuntur, ab illo, non poterunt distinguui: Sicut quia rationale non est principium per illos nemine cogitante sensandi, idè non est nemine cogitante sensitivum: nec sensitivum formaliter ex Natura rei: Ita quia Distinctio ex Natura rei, est distincta ab eo, quod distinguuntur, idè illud quod distinguuntur, non erit distinctum ex Natura rei nemine cogitante.

Vide Logica, ubi probatur non dari nemine cogitante actu universale à parte rei.

Punctum Difficultatis 3.

Respondetur Objectionibus.

OBJICITUR I. Animalitas in Petro & Rationalitas distinguuntur ante omnem operationem. Sed non realiter aut modaliter. Ergo formaliter ex Natura rei. Antecedens probatur, quia convenient illis prædicata contradictoria, animalitas enim v.g. Petri, habet convenientiam cum bruto, non habet rationalitas &c. Jam autem uni eidemque indivisibili entitati, nullam habenti in se distinctionem, convenire non possunt, aliàs idem esset & non esset.

RESPONDET I. Communis Sententia. Uni eidemque indivisibili realiter entitati multiplici tamen virtualiter, posse convenire duo contradictoria etiam prædicata.

RESPONDETUR II. Uni eidemque indivisibili Entitati, habenti diversa connotata non posse ratione eorundem connotatorum diversa prædicata contradictoria convenire, posse ratione diversorum connotatorum. Et sic Petrus in quantum connotat operationes sentientiæ convenit cum bruto, ratione cujus connotati non dicit disconvenientiam cum bruto, sed ratione alius connotati, nempe in quantum est principium actuum ratiocinandi, unde etiam, non erit tunc contradictio ratione ejusdem.

RESPONDETUR III. Animalitas Petri, habet

convenientiam cum bruto, secundum quod illa convenientia importat aliquod in recto. Negatur propositio; quia in recto illa animalitas est ipse Petrus, qui certe non est ratio convenientiæ cum Bucephalo, unde est illic convenientia ratione connotatorum; Finge Petrum non exercere actus sensandi, imò impossibiles illi esse, non convenient Petrus & Bucephalus, sed se habebunt sicut Angelus & Bucephalus. Ergo apparet totam convenientiam esse ratione connotatorum actuum, & connotati principii, actuum sensandi. Accipiendo illud præcise sub nomine principii actuum sensandi, non sub formalitat, equæ est à parte rei, talis scilicet principii.

OBJICITUR II. Quod ex natura sua ante omnem Operationem intellectus separari potest à differentiis specificis, distinguitur ab eis ex Natura rei, sed gradus superiores ab inferioribus v.g. animal secundum se spectatum, ex Natura rei ante omnem Operationem intellectus separari potest à rationali, contingens enim illi est identificari rationali, aliàs ubicunque esset animal illic esset rationale. Ergo sic sumpta animalitas distinguitur ex Natura rei à rationali in Petro.

RESPONDETUR I. Hanc totam probationem esse de subjecto non supponente, continereque terminos destruentes seipsos, hi enim termini, animalitas ut sic, animalitas ex Natura rei, & tamen ante omnem operationem intellectus, tollunt se.

RESPONDETUR II. Negando, quod animal quod est in homine, secundum id quod dicit in recto possit esse sine rationali.

RESPONDETUR III. Contingens esse animali prout subest nostris conceptibus, prout sumitur in suppositione simplici, prout sumitur Metaphysicè, ut sit rationale, sed id non habetur nemine cogitante. Consequenter nec distinctio erit nemine cogitante, præterquam fundamentalis. Sed nego id esse contingens animali, prout independet à nostris Intentionibus, prout accipitur in suppositione personali, & prout est in statu Physico, quæ tamen non nisi sunt nemine cogitante, nam nemine cogitante non est nisi Petrus, Paulus, Bucephalus &c. Petro autem non est contingens esse Petrum, nec Bucephalo Bucephalum, si sumantur prout existunt.

INSTAT I. Mastr. Log. D. 1. §. 73. proponendo eundem medium terminum, non jam de separatione, sed de continentia harum perfectionum. Multoties plures perfectiones in inferioribus dispersæ, reperiuntur in aliqua re superiori ob ejus eminentiam, unitæ realiter, ubi in inferioribus erant realiter distinctæ; & quia secundum se sunt perfectiones simpliciter, adhuc in eare manent secundum suas pro-

prias Formalitates, unde continentur in eis formaliter & non virtualiter. Hæc perfectiones sic contentæ non distinguuntur realiter, non virtualiter, quia non existunt ibi virtute tantum. Ergo formaliter ex Natura rei actu.

RESPONDETUR. Alia est hæc Propositio eademque entitas, est formaliter plura (subintellige ratione diversorum connotatorum) & alia una eademque entitas, continet plures formalitates; prior propositio est vera, nam indivisibilis entitas v. gr. Divina est formaliter iustitia, & formaliter misericordia, quæ alias à se distinguuntur realiter. Posterior est falsa, quia invehens multiplicatam actualem adeoque & distinctionem actualem, unde nec continentur formaliter illæ perfectiones sed indivisibilis entitas, est formaliter illæ perfectiones. Hinc formatur Distinctio, remanent secundum suas proprietates, hoc est una entitas est formaliter illud, quod aliàs solet importare plures formalitates, concedo Prop. remanent secundum suas proprias formalitates retenta aliqua pluralitate actuali. Negatur. Rursus nego quod illæ formalitates non contineantur virtute tantum, ne autem dicatur v. g. virtute tantum Deus, & non formaliter iustus, hoc exinde est: quia virtus illa æquivaleret formali illi multiplicati formalitatum adeoque idem formaliter præstat virtute, quod formaliter faceret in se distincta actu formalitas. Conformer ad materiam de Connotatis remanent illæ perfectiones, ita ut idem dicant omnes in Recto, & diversa tantum in Obliquo conceditur. Non dicentes idem in Recto. Negatur. Si autem dicunt idem in Recto, cum idem à se distinctionem sui non habeat, nec habebunt illæ perfectiones, erunt ergo ratione connotatorum distinctum quid. Unde in istis Principiis. Quid est formaliter Iustitia divina idque nemine cogitante? Est Deitas, quæ est principium activum puniendi, quid misericordia formaliter? Est Deitas, quæ est principium actuum miserendi. Si ergo utrobique respondet Deitas, non responderet alietas, si non responderet alietas, nec distinctio. Adde in nostris Principiis formaliter nemine cogitante esse tale, est realiter esse tale.

INSTAT II. Distinctio formalitatum, fundatur in modo, quo ibi sunt. Ergo si ibi sunt ex Natura rei actualiter, eodem modo distinctæ erunt actualiter.

RESPONDETUR. Nego esse illas ex Natura rei actualiter plures. Rursus cum distinctio formalitatum fundetur in modo quo ibi est res, cum secundum rectum, modus essendi illarum formalitatum sit idem, secundum rectum non distinguuntur, sed non nisi secundum obliquum.

INSTAT III. Formalitates Iustitiæ & misericor-

diæ in Deo, vel sunt formalissime una perfectio, & sic non existunt ibi, secundum rationem formalem propriam vel sunt plures, & tunc necessario inferretur actualis distinctio inter illas.

RESPONDETUR. Secundum id quod dicunt formalitates illæ in recto & nemine cogitante, sunt una perfectio in eodem recto, nec existunt in Deo, secundum rationem formalem, actu distinctam. Licet existant secundum virtutem faciendi id formaliter, quod faceret distincta formalitas.

OBJECITUR III. Quæ habent diversos conceptus essentialia à differentiis, idque ante omnem operationem intellectus, ea distinguuntur à differentiis, idque ante omnem operationem intellectus, ex Natura rei formaliter. Sed in creatis, gradus non transcendent, seu animalitas ut sic, habent diversos ante omnem operationem intellectus essentialia conceptus, à differentiis specificis. Ergo in creatis gradus non transcendent, distinguuntur à parte rei formaliter à differentiis specificis. Major inquit, est definitio distinctionis ex Natura rei. Minor probatur. In creatis gradus non transcendent, non includunt in suo essentiali differentiis specificas, animal v. g. in suo conceptu non includit rationale.

RESPONDETUR. Negando Minorem. Negando item ut sic dari animal, & tamen nemine cogitante, negando animal prout est à parte rei, prout est in suppositione personali non includere in suo conceptu rationale, & tamen hæc solum dicunt non dependentiam ab opere intellectus. Concedendo tamen id convenire animali prout subest nostris intentionibus &c. de quibus jam dictum.

INSTABIS I. Si animal à parte rei includeret rationale, non posset ab illo abstrahi, sed potest abstrahi. Ergo. Sequela probatur. Nihil potest abstrahi ab aliquo sibi essentiali.

RESPONDETUR. Negando sequelam cum sua probatione, quæ ulterius non probatur. Unde hæc propositio. Nihil potest abstrahi à sibi essentiali, non nisi sano sensu permitti potest, quia nil potest abstrahi à sibi essentiali essentialitate accepta, prout subest nostris conceptibus, licet possit abstrahi ab eo, quod est sibi essentiali, non nisi pro statu Physico, & in suppositione personali.

INSTABIS II. Deus vel videt Perrum & Leonem convenire & differre, vel non videt, si non videt, Ergo videt alterutrum non esse animal, ex eo, quia non videt eos convenire in animalitate; Si videt. Ergo concipit gradus ex Natura rei distinctos, quorum unus est ratio conveniendi, alter differendi.

RE-

RESPONDETUR. Non videre DEUM convenientiam in Petro & Leone, quod dicit uterque in recto, sed videt convenientiam importatam ratione obliquorum & similium connotatorum. Deinde potest salvari hæc convenientia sine ulla distinctione actuali, ex dictis.

INSTABIS III. Si animal à parte rei non esset distinctum ex Natura rei à suis inferioribus, tunc animal identificatum homini & equo, non convenirent univocè, sed conveniunt, animal enim est terminus univocus. Ergo. Sequela probatur. Animal quod est in homine, per suam essentiam, esset determinatum, ad esse cum rationali; & animal identificatum hinnibili, per suam propriam essentiam, determinaretur ad esse cum hinnibili. Ergo.

RESPONDETUR. Si animal non esset distinctum ex natura rei, &c. tunc animal identificatum homini & equo non conveniret univocè quoad id quod dicit in recto istud animal, & præcisè ratione suæ entitatis. Conveniret tamen univocè, quoad id quod dicit animal utriusque in obliquo & ratione importatæ denominationis propter similia connotata, hoc est actus sentiendi. Quanquam rationes etiam univocæ non dantur actu à parte rei, sed non nisi fundamentaliter, idque ideo quia univocum debet esse ratio communis, rationes autem communes per nos, non dantur nemine cogitante.

OBJICITUR IV. Ex Amico. Inter quæ est ordo ex natura rei, inter illa est distinctio ex natura rei, ordo enim requirit distinctionem, cum nihil ad seipsum ordinetur. Sed in Creatis inter gradus transcendentis & differentias specificatas, est ordo ex natura rei, idque ex eo, quia inter eos est essentialis subordinatio, rationem enim viventis, supponit sensitivum, & rationem sensitivi, hinnibile.

RESPONDETUR. Inter vivens & sensitivum nullam esse subordinationem si spectentur, prout sunt à parte rei; licet sit subordinatio, prout subsunt nostris conceptibus, seu Metaphysicè, sed sic sumptos gradus, nego dari nemine cogitante, sed datur illic ordo, non nisi fundamentalis.

INSTABIS I. Inter Gradus Metaphysicos subsistendi consequentia ab inferiori ad superiorem gradum, non valet autem à superiori, ad inferiorem. Ergo apparet inter hos gradus dari dictum ordinem. Antecedens probatur, quia rectè dico: est hinnibile. Ergo sensitivum, non rectè autem dico: est sensitivum. Ergo hinnibile.

RESPONDETUR. Illam subsistendi Consequentiam non dari actu nemine cogitante, sed non nisi fundamentaliter. Consequenter

ex illa non arguetur rectè distinctio actualis.

INSTABIS II. Inter Gradus superiores & inferiores, non sunt eadem definibiles, sed diversæ, nam animal quod est in homine, non est definibile per rationale. Ergo & ordo, & distinctio, dabitur inter hos gradus.

RESPONSUM est supra, quod animal, quod est in homine, prout est à parte rei, sit definibile per rationale, licet animal quod est in homine, prout subest nostris conceptibus non sit definibile per rationale; sed nego sic sumptum animal, esse nemine cogitante.

INSTABIS III. Gradus superior comparatus ad inferiorem, itemque rationale comparatum ad risibile, habet se sicut causa ad effectum. Ergo dabitur ordo inter dicta, & distinctio ex Natura rei.

RESPONDETUR. Rationalitatem v. gr. esse causam ex modo concipiendi risibilitatis, adeoque arguere distinctionem non nisi ex modo concipiendi.

OBJICITUR V. Non potest esse idem æquale & inæquale alteri. Ergo nec potest esse idem simile & dissimile alteri. Ergo istud quod est simile, ab eo quod est dissimile distinguuntur saltem ex Natura rei, jam autem homo est similis leoni secundum animalitatem, dissimilis secundum rationalitatem.

RESPONSUM supra pleribus viis, ostensumque hoc salvari posse ratione diversorum connotatorum. Addit Arriaga, quod æqualitas consistat in indivisibili, significat enim habere tantum, quantum alterum & non plus; similitudo autem hoc non dicit, sed tantum dicit, esse instar aliûs, quod esse instar aliûs, potest suscipere majus & minus.

Punctum Difficultatis 4.

Continuatur Solutio Objectionum.

OBJICITUR VI. Pater Chacrel. Ratione ante omnem operationem intellectus non est intra essentiam animalis. Ergo à parte rei est distinctum ex Natura rei. Probatur, quia hoc enim ipso, quia unum non est intra essentiam alterius, est extra essentiam alterius, aliàs & esset intra essentiam & non esset, quod autem est extra essentiam alterius, hoc ipso habet formalem negationem unitatis cum alio, quod autem habet negationem formalis unitatis, hoc ipso habet distinctionem formalem. Ergo à primo ad ultimum, quorum unum non est intra essentiam aliûs, est distinctum ab illo formaliter. Antecedens probatur. Illud est intra essentiam animalitatis quod in statu essentiae tanquam præ-

† O 3

dica-

dicatum essentiale convenit animalitati. Sed rationalitas ante omnem operationem intellectus, tanquam prædicatum essentiale non convenit animalitati. Ergo rationalitas ante omnem operationem intellectus, non est intra essentiam animalis.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Probationi ejus minorem, quæ supponit ipsum statum essentiae, dari nemine cogitante, cum tamen non detur nisi illius fundamentum, nemine cogitante ut dictum supra. Deinde animal spectatur in statu essentiae, non tamen secundum rationes communes, sed secundum rationes determinatas, dicit rationalitatem. Si autem spectetur animalitas in statu essentiae, sed secundum rationes communes, sic sumpta, non includit quidem rationale; sed id non est actu nemine cogitante, idque duplici titulo. Imprimis quia spectatur in statu essentiae: Deinde quia secundum rationes communes, utrumque autem hoc, est Intentionale. Dicit etiam posset ex dictis, quod rationalitas ante omnem operationem intellectus, fundamentaliter & ratione diverforum connotatorum non sit intra essentiam animalis, licet si spectetur secundum id quod dicit in recto & secundum quod est à parte rei, sit intra essentiam animalis.

INSTAT I. Mastr. cit. n. 75. Multa realiter identificantur, quæ tamen variis definitionibus exprimuntur. Definitio autem cum traditur per conceptus adæquatos, explicat esse formale, quod habet definitum à parte rei; licet non explicet esse reale, quod veluti materialiter se habet.

RESPONDETUR. Realiter identificata variis definitionibus exprimuntur, non in quantum res est à parte rei & nemine cogitante, sed prout res subest nostris conceptibus & intentionibus, qualis intentio, est & ipsa definitio. Ad idem quæ est à parte rei, semper definiri, hujus enim investigatur definitio, sed hoc quod est à parte rei potest dupliciter definiri. I. Prout est à parte rei & sic omnium identificatorum definitio, erit eadem ratione recti, ratione subiecti &c. sed non eadem ratione differentiae, & connotatorum. II. Potest definiri res, quæ est à parte rei, non prout est à parte rei, sed prout subest nostris conceptibus; & sic diversa erit definitio diversarum Formalitatum, sed inde non sequetur distinctio actualis illarum Formalitatum.

INSTAT II. Res diversimodè definiuntur quia diversas habent Naturas in seipsis, & non quia diversimodè ab intellectu concipiuntur; & per definitionem, exprimitur esse rei quidditativum, non autem esse, quod accipit per apprehensionem intellectus.

RESPONDETUR. Interdum definiri res non prout ab intellectu concipiuntur, & tunc in definitione identificatorum, non erit diversitas, nisi ratione connotatorum, sed nego interdum non definiri res, prout subest nostris conceptibus, adeoque prout apprehenduntur cum fundamento in re. Unde ad diversas definitiones, sufficit ut definibilia diversas naturas non actu, sed fundamentaliter, non ratione Recti, sed ratione obliqui habeant, & per definitionem exprimitur quidditativum esse rei, quod est à parte rei, sed vel ita, prout est à parte rei, vel ita, prout subest nostris conceptibus cum fundamento in re.

INSTAT III. Licet definitio fiat per actum intellectus, non propterea sequitur, quod explicet formaliter aliquid intentionale, sed verè explicet aliquid à parte rei. Sicut hæc propositio: Sol est lucidus, licet fiat per intellectum enuntiantem, tamen exprimit rem, sicut se habet à parte rei actualiter.

RESPONDETUR. Interdum quidem explicat definitio id quod est à parte rei, & prout est à parte rei, sed interdum explicat quidem id quod est à parte rei, sed non prout est à parte rei, sed prout subest nostris conceptibus. Instantia de Sole probat dari definitionem rei, quæ est à parte rei, etiam prout est à parte rei.

OBJICIT VII. P. Chacrel. Alietas actualis unius rationis ab alia independens omnino ab intellectu est distinctio formalis, ut patet ex earum definitione; sed datur à parte rei alietas actualis unius rationis ab alia independens ab omni intellectu. Ergo datur & formalis distinctio. Minor probatur. Unam rationem actu non esse de essentia seu quidditate alterius independentem ab intellectu, est esse actualem alietatem, unius rationis ab alia independentem ab intellectu. Ergo datur à parte rei alietas actualis unius rationis ab alia independentem omnino ab intellectu. Minor probatur. Quod existentia vel Singularitas Petri actu non sit de Essentia naturæ Petri, hoc ab intellectu nullo modo dependet, cum non intellectus, sed ipsa rerum natura faciat, quod Deo sit essentialis Singularitas, & Existentia; Creaturis accidentalis.

RESPONDETUR. Existentiam in creatis esse accidens Metaphysicum seu ex modo concipiendi, non esse tamen accidens actu, sed tantum fundamentaliter ex eo, quia potest concipere existentiam intellectus, sine actuali existentia. Deo autem non est accidentalis existentia, cum enim DEUS sit perfectionis illimitatæ, æquæ formaliter debet illi convenire Essentia atque Existentia. Conformiter ad superius dicta respondetur potest, Existentiam Petri secundum id quod dicit in recto esse essentialem Petro, est enim

enim ipsa essentia Petri, licet non sit essentialis secundum id quod dicit in obliquo, quia existentia creata Petri connotat causas se libere producentes, in quibus, tanquam effectus liber, continetur; Existentia autem Dei non dicitur consimiles, pro obliquo causas.

OBJICITUR VIII. idem. Si animal non esset distinctum formaliter ex natura rei à rationali, non posset explicari sufficiens distinctio in Analoga & Univoca. Sed hoc est absurdum. Sequela probatur. Quia non majorem haberent Univoca unitatem quam Analoga: Quod ipsum probatur, quia si haberent perfectiorem unitatem univoca præ Analogis, illa unitas vel esset ex vi conceptus nostri vel ex ipsa unitate à parte rei majori. Non ex vi conceptus nostri, quia tam perfecte est unus conceptus animalis, quam perfecte est unus conceptus entis. Non item ex vi unitatis, quæ major in univocis à parte rei reperitur, quia animal quod est in Petro supponiturque esse univocum, est ratio simul & conveniendi ut clarum est, & ratio differendi, ratione omnimodæ identitatis actualis, cum rationali, quod est ratio differendi. Ergo non est major unitas in univocis, quam in Analogis, propter similitudinem enim rationem, quia ens importat omnimodam identitatem cum differentiis dicitur esse Analogum, hoc est, ratio conveniendi & differendi.

RESPONDEBIS I. Analoga includi in differentiis formaliter, nam ens quod est Analogum includitur in differentia, certe enim differentia non est non ens, animal autem quod est univocum non includitur in differentiis. *Hec Ratio*

NON SATISFACIT. Tum quia si animal non includitur in differentiis à parte rei, hoc ipso admittes distinctionem Scotisticam, per quid enim ab illa recedes. Tum quia si animal non includitur in differentiis vel non includitur, non nisi in statu intentionali, & hoc non tenet, quia per nos etiam in ente, in statu intentionali non includuntur differentiæ; si autem animal non includitur in differentiis à parte rei, ergo hoc ipso dicitur ab illis distinctionem à parte rei. Tum quia si nemine cogitante animal non est rationale. Ergo nemine cogitante animal non dicitur rationem identitatis cum rationali. Ergo distinctionem & non merè ratione connotatorum extrinsecorum.

RESPONDEBIS II. Non dari rationem communem à parte rei univocam nec rationem communem Analogam, adeoque cum non dentur istæ rationes à parte rei, nec ostendenda erit à parte rei major unitas univocorum præ Analogis. *Hec Responsio*

NON SATISFACIT. Quia debet dari major convenientia univocorum præ Analogis, hanc autem non salvas, ut habet responsio, pro statu

physico & à parte rei. Non salvas etiam in statu intentionali, casu quo dicas dari conceptum Analogorum perfecte unum, nihil enim plus habebit univocum præ Analogis.

RESPONDETUR. III. In hoc stare majorem unitatem univocorum præ Analogis, quia ea quæ univocè conveniunt, nullo modo sunt ratio differendi à parte rei sub eodem nomine, ea verò quæ sunt Analoga, sunt ratio conveniendi & differendi sub eodem nomine; & ita animal, sub nomine animalis non est ratio disconveniendi viventibus sensitivis, Ly autem sanum, quod est Analogum etiam sub nomine sani, est ratio conveniendi & differendi; nam Ly sanum dictum de medicina, pulsus &c. erit ratio conveniendi & differendi sub eodem nomine, universaliusque Analogia non debet pensari, an una eademque indivisibilis entitas sit ratio conveniendi & differendi saltem ratione connotatorum, sed an sit ratio conveniendi & differendi sub eodem nomine quod exigit ipsa definitiva phrasis Analogorum.

OBJICITUR IX. Non desunt formalitates quatum una negetur de alia, non desunt formalitates, quarum una postulet aliter definiri quam alia. Ergo datur distinctio formalis ex Natura rei.

RESPONSUM. Ad hoc argumentum.

In cumulum colliguntur omnes distinctiones, in hac materia applicabiles. Non desunt formalitates, quatum una prout est à parte rei potest negari de alia. Nego Antecedens. Non desunt formalitates, quarum una prout subest nostris conceptibus, & secundis intentionibus negari potest de alia. Concedo Antecedens. Item non desunt formalitates quarum una negetur actu de alia. Negatur Antecedens; ut negetur fundamentaliter. Concedo Antecedens. Non desunt formalitates quarum una negetur de alia ratione extrinsecorum connotatorum. Concedo Antecedens. Non desunt formalitates quarum una negetur de alia, ratione ejus quod dicit in recto & pro intrinseco. Nego Antecedens. Non desunt formalitates quarum una sumpta in suppositione simplici negetur de alia. Concedo Antecedens. Non desunt formalitates quarum una sumpta in suppositione personali negetur nemine cogitante de alia. Nego Antecedens. Ergo datur distinctio ex Natura rei. Nego Consequentiam; nam hæc deberet esse independenter à nostris secundis intentionibus; deberet non esse tantum fundamentalis, aut ratione solum extrinsecorum connotatorum: cumque debeat esse nemine cogitante, deberet esse non in suppositione simplici, quæ suppositio simplex non est nemine cogitante.

INSTABIS. Quidquid negatur formaliter de altero semper negatur. Ergo nunquam est in potentia ad negari. Ergo non fundamentaliter distinguuntur animal & rationale sed actu. Sed non actu realiter aut modaliter. Ergo actu ex Natura rei.

RESPONDUM jam, quidquid negatur de altero formaliter, idque de eo sumpto in suppositione simplici, illud semper negatur de eodem in suppositione simplici, sed non erit necesse negari in suppositione personali. Item, quidquid negatur de alio prout subest nostris secundis intentionibus, debet negari de eodem prout subest nostris secundis intentionibus, sed non debet negari de eo prout est à parte rei. Et ita negatur animal quod est in homine de rationali, prout animal subest nostris secundis intentionibus, sed non prout est à parte rei; quod ipsum à parte rei apud me non aliud est, quam rem independentem à nostris conceptibus seu physice sumere.

COLLIGES ex dictis. Gradus Metaphysicos non distingui actu intrinsece ratione ejus quod dicunt in recto, distingui tamen actu à parte rei ratione ejus quod dicunt in obliquo & extrinsece, quod est idem ac dicere distingui ipsa connotata & extrinseca, ad eum modum quando dicitur. Paries prout albus disgregat visum, sensus est: quod albedo disgreget visum.

Punctum Difficultatis 5.

Argumenta Recentiorum.

OBJICIT I. Sylvester Maurus q. 32. Rationes quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, distinguuntur ex Natura rei, sed dantur multæ rationes genericæ ac differentiales, quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, & ita animalitas non includitur in definitione rationalitatis adæquata.

RESPONDETUR. Cum in argumento non ponatur, quod hæc distinguantur ex Natura rei, & quidem actu idque nemine cogitante, videtur argumentum principia nostra non petere. Ex dictis responderi aliter potest quod rationes, quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, prout illæ subsunt nostris conceptibus distinguantur ex Natura rei. Neg. Major: Sic enim distincta debent distingui independentem à nostris conceptibus & intentionibus. Rationes quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, independentem à nostris conceptibus distinguuntur ex Natura rei. Concedo Majorem. Distinctaque minori neg. Conseq.

INSTAT idem. Rationes cognitæ conceptu

quidditativo & adæquato, quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, distinguuntur ex Natura rei, sed tales sunt rationes genericæ & individuales alioquin nulla quidditas sensibilis & materialis esset, à nobis cognoscibilis quidditative. Ergo.

RESPONDETUR. Rationem hanc positam, post duo supposita, esse eandem cum priori, & ei sit satis eadem responsione. Ut autem salvetur quidditatem sensibilem esse cognoscibilem quidditative, sufficit quod si detur definitio animalitatis & rationalitatis, prout est à parte rei, debebit definitio utrique competere, sicut & definitum homo utrique in re competiti.

OBJICIT II. Comparando rationes genericas & differentiales quidditative cognitæ v. g. animalitatem & rationalitatem, non innotescit quod animalitas sit rationalitas, sed potius innotescit oppositum, eo pacto, quo comparando colorem & sonum, innotescit quod color non est sonus. Ergo.

RESPONDETUR. Non innotescit animalitas ex rationalitate, prout subsunt nostris conceptibus, innotescit autem animalitas ex rationalitate, prout hæc est à parte rei, nihil enim est quidditas hæc à parte rei nisi in re, homo; hic autem homo, est hoc corpus ita organifatum, & anima hæc, ita se prodens, quod utrumque dicit animal, neque enim animal est solum corpus; utrumque etiam horum dicit rationale, neque enim rationale est sola anima, unde fit ut eadem quidditas in re sit animalis, & eadem rationalis, adeoque ex quidditate animalis, prout est à parte rei, innotescit quidditas rationalis, prout est à parte rei, nec se ista habent sicut sonus & color à parte rei, quia horum utrumque distinctam entitatem dicit, non alia autem est entitas animalis à parte rei, ab entitate rationalis; consequenter quidditas animalis, à quidditate rationalis different, prout hæc subsunt nostris conceptibus, si prout subsunt nostris conceptibus; ergo non ex Natura rei, nemine cogitante actu differunt.

INSTAT I. Intellectus non magis penetrat rationem entis & ceteras rationes transcendentis, quam rationem animalis, sed de ratione entis certificatur, quod includatur à parte rei in differentiis; ergo etiam de ratione animalis certificaretur, quod includatur à parte rei in quidditate suarum differentiarum, si verò includeretur non certificaretur, ergo ideo quia non includitur.

RESPONDETUR. Rationem animalis includi in differentiis, certificatur intellectus cum considerat animal prout est à parte rei, & sicut certificatur includi in diversis differentiis ita certificatur includi animal, & in rationali & in irrationali, si sumatur animal prout est à parte rei; licet non includatur, si sumatur prout subest nostris conceptibus.

INSTAT

INSTAT II. Noster intellectus minus penetrat differentiam Dei quam differentiam creaturarum, sed de differentia Divina certificatur, quod includat in sua quidditate omnes rationes absolute prædicabiles. Ergo si differentia includerent rationes genericas in sua quidditate, certificaretur de tali inclusione.

RESPONDETUR. Cum non detur animal ut sic nemine cogitante, sed nonnisi hoc & hoc animal, & tamen hoc & hoc habent suam quidditatem, certificatur intellectus quod hoc animal à parte rei, sit hoc rationale, & quidditas animalis hujus à parte rei, sit ut dixi quidditas rationalis à parte rei.

INSTAT III. Conceptus quidditativus adæquatus rationum, est perfecte repræsentativus ipsarum; Ergo cum conceptus quidditativus non exprimat inclusionem; nec rationes secludunt à partem rei.

RESPONDETUR. Neg. quod conceptus quidditativus animalis, prout est à parte non exprimat inclusionem rationalis prout est à parte rei, hic enim conceptus est hoc corpus & hæc anima, hic autem conceptus idem est cum conceptu rationalitatis, prout illa est à parte rei revolvensque se intellectus dicit, aliud est animal prout subest nostris conceptibus à rationali, non autem à parte rei nemine cogitante.

OBJICIT III. Principia in quæ resolvitur, & ex quibus oritur cognitio quidditativa, debent cognosci quidditative, eo pacto quo principia cognitionis evidenter, debent esse evidenter. Hæc autem cognitio, nonnisi in hac sententia salvatur: dum quæritur quid est homo? quæritur cognitio quidditativa hominis? & respondetur, animal rationale; quæritur quid quidditative animal? & respondetur, vivens sensitivum: quæritur quid vivens? respondetur, corpus vegetabile, hoc in sententia opposita non potest salvari, nam rationes genericæ & differentiales minus quidditative cognoscuntur, quam res definitæ.

RESPONDETUR. Si quærat, quid est homo, ut sic; interrogationes & responsiones adlatæ sunt bonæ, & à nobis etiam adhibentur; sed negamus dari hominem ut sic nemine cogitante; sed nemine cogitante datur Petrus, Paulus &c. quorum quidditativa cognitio, resolvitur in principia evidenter & sub sensum cadentia, & ea quæ sunt & prout sunt à parte rei, & ex iis quæ sub sensum cadunt præsternitur via ad ea, quæ in sensum non cadunt, in se, ut rationalitas, anima &c. Quod si cognitio illa resolvitur in principia evidenter sensuum; magis adhuc est quidditativa, quia pauciores gradus habebit ad evidens per se, minus autem distans à noto per se, evidenter est: unde si quæras quid est hic homo? est hoc corpus ita organisatum, & anima prodens se per illud; si quæras quid est illud esse organisatum & quid prodere se animam,

jam tantum per ista quæ sub sensum cadunt, respondetur.

OBJICIT IV. Intellectus debet esse dispositus ad cognoscendum suum proprium & proportionatum objectum, sed proprium & proportionatum objectum intellectus nostri est quidditas materialis, Ergo intellectus debet esse dispositus ad cognoscendum quidditatem rei materialis prout est, sed intellectus cognoscit quidditatem rei materialis ut compositam ex rationibus genericis & differentialibus, Ergo verè quidditas materialis, componitur ex rationibus genericis & differentialibus, distinctis ex Natura rei.

RESPONDETUR. Quidquid sit, an objectum intellectus nostri sit quidditas materialis, quod negari posset, quia sequeretur quod ad id, quod materiale non est vitaliter videndum, elevari non posset, sicut quia objectum adæquatum oculi est visibile, non potest, elevari, ad audiendum vitaliter. Directè dici potest quod objectum intellectus nostri sit quidditas materialis non utcumque, sed quidditas, vel prout est à parte rei, vel prout subest nostris conceptibus; & prout subest nostris conceptibus accipiendo scilicet hominem ut sic, cognoscit illum compositum ex rationibus genericis & differentialibus, distinctis actu ex Natura rei, sed hæ rationes actu nemine cogitante, secundum se spectatæ, non dantur.

OBJICIT V. Quia secundum hanc sententiam, traditur ratio universalis de distinctione vel identitate rerum ac rationum, hæc ratio est finitas & infinitas: Infinitas est ratio, cur DEO identificentur omnes perfectiones, è converso limitatio essendi in creaturis, est ratio distinctionis.

RESPONDETUR. Etiam hæc sententia non tradit regulam universalem, idque in duplici materia: Imprimis quia etiam sapientia quæ talis, & justitia quæ talis in Deo, diversa definitione definiuntur & tamen negat hæc in Deo distinguere ex Natura rei obiciens, de quo aliàs actum. Deinde quia etiam in creatis finitudo non est ratio plurificandi omnia in creatis, sunt enim etiam in creatis rationes indistinctæ ex Natura rei. Adde quod hæc ratio videatur probare, ita in nobis distinguere animalitatem à rationalitate, sicut distinguuntur in nobis justitia à misericordia.

OBJICIT VI. Maffrius Disp. 6. Metaph. a. num. 212. In homine ultra res phyficas, quæ sunt ejus phyficæ partes, reperiuntur etiam realitates Metaphysicæ, v.g. realitas animalis rationalis &c. quæ quidem rationes, non plurificantur per solas præcisiones formales, quia intellectus non producit per animam suam

has

has rationes in homine, sed illas jam formatas & plurificatas reperit, alioqui homo non esset animal rationale à parte rei, sed tantum per opus intellectus, neque huiusmodi rationes plurificatur vel distinguuntur in homine per solas præcisiones objectivas, id est, per conceptus objectivos inadæquatos, quia aliàs si actu inadæquato intelligeretur, unica tantum ratio conceptibilis in ipso apprehenderetur; hoc autem falsum est, quia nulla creatura est simplex aliqua entitas à parte rei, est enim etiam ex variis gradibus essendi Metaphysicis composita, idèò quantumcunque inadæquatè concipiatur, concipi nequit nisi variis & distinctis rationibus.

RESPONDETUR. Concedo in homine reperiri realitates Metaphysicas, sed non distinctas, distinctione illarum actuali, pendente à præcisionibus imprimis formalibus, sed cum fundamento in re præcedentibus, cumque harum formalitatum distinguendarum, detur fundamentum nemine cogitante, hoc ipso sequitur, quòd has rationes non producat per actionem suam intellectus, sed præcindit; quæ præcisæ jam se ipsis distinguuntur actu, ut alibi dicitur, rationeque ejus fundamenti quod actu habetur, est à parte rei animal rationale, sed non distinctum v. g. à suis hæccitibus actu, nec distinctum actu animal, à rationali.

In sententia nostra tenente præcisiones objectivas, referri etiam id debet in præcisiones objectivas, catuque quo actu adæquato intelligeretur homo unica quidem re, & nemine cogitante, intelligeretur ratio, multiplex tamen fundamentaliter, æquivalenter &c. estque simplex entitas actu v. g. homo, multiplex æquivalenter, & est ex variis gradibus essendi Metaphysicis, non actu, sed fundamentaliter distinctis.

OBJECIT VII. idem. Multa realiter identificantur, quæ tamen variis definitionibus explicantur ut docet Aristotelis cum igitur definitio explicet esse formale & quidditativum, quod habent res à parte rei, antecedenter ad quodcunque opus intellectus, concedenda est inter plura illa, aliqua distinctio actualis.

RESPONDETUR. Hoc quod est definiri, quod est, vel est definiri prout est, vel definiri quidem quod est, sed prout illud subest nostris conceptibus, non utcunque, sed fundamentum in re habentibus; unde quando variis definitionibus realiter identificata explicantur, explicantur prout subest nostris conceptibus, explicaturque definitum esse quidditativum, quod habetur à parte rei, sed non prout habetur, sed fundamentaliter acceptum, & prout subest nostris conceptibus; talis autem definitio rei prout habetur fundamentaliter, & subest nostris conceptibus non arguit alietatem actualem & nemine cogitante, si autem definiretur id

quod est & prout est, deberet una quidditate definiri.

INSTAT I. Separabilitas realis arguit distinctionem realem; ergo & separabilitas secundum conceptibilitatem, exigita actu ex natura rei, arguit actualem distinctionem ex natura rei, maiorem distinctione rationis, minorem reali.

RESPONDETUR. Negando dari actu ex natura rei, nemine cogitante, illam separabilitatem secundum conceptibilitatem; si enim est secundum conceptibilitatem, non est independentem à nostris intentionibus. Deinde datur etiam per nos supposita distinctione virtuali & fundamento in re, aliàs & aliàs conceptibilitatis major distinctio, quàm sit in istis, quæ sola ratione differunt, indubiè enim etiam per nos magis distinguuntur animal præcisum & rationale, quàm definitio & definitum, sed negamus hanc distinctionem esse nemine cogitante. Denique ex conditione separabilitatis arguenda est conditio distinctionis, & ita ex ratione separabilitatis tam ratorum, quam modorum, major arguitur esse distinctio realis quàm modalis, quia autem hæc separabilitas est intentionalis, arguit etiam maiorem distinctionem intentionalem, sed si illa separabilitas non esset intentionalis, argueret distinctionem non intentionalem, hinc non habetur in nostris principiis rigorosè actualis illa separabilitas, sed solum fundamentum separabilitatis.

Quæ arguit ex verificatione contradictorium tam in divinis quàm in creatis alibi solvuntur.

INSTAT II. Deus non cognoscit res nisi adæquatè & distinctè, sed Deus cognoscit differentiam & convenientiam inter hominem & brutum. Ergo concipere debet gradus adæquatè, ex natura rei distinctos.

RESPONDETUR. Si Deus res nonnisi adæquatè cognoscit, non cognoscit gradus ipsos distinctos, quia res secundum gradum accepta, semper est inadæquatè accepta, adæquatioque illius, stat in omnibus simul, unà cum individuatione. Admissimus item aliàs etiam in DEO præcisiones objectivas æquivalenter, quibus mediis, potest Deus illas convenientias & differentias salvere. Denique dici potest, quòd Deus cognoscat differentiam & convenientiam entium ratione extrinsecorum connotatorum, & quæ postea ducunt ad formandum conceptum in rectis ipsis conveniendi & differendi.

INSTAT III. Saltem distinguuntur passionēs à subiecto distinctione hac ex Natura rei, quia scientia realis est cognitio rei per causam propter quam res est, & quoniam illius causa est, ergo necesse est quod affectiones ex Natura rei à subiecto pullulent, adeoq; & distinguantur, & si

QUÆSTIO VII.

De Distinctione rationis ratiocinatae & ratiocinantis.

& si homo & risibile per solam habitudinem extrinsecam distinguuntur, cum demonstramus risibilitatem de homine, per animal rationale, demonstramus hominem, potius sic concipi, puta, sub risibilitate, quia concipitur hoc alio modo, puta sub Conceptu rationalitatis.

RESPONDETUR. Scientia adde ut vis realis, est cognitio vel per causam physicam, vel per causam Metaphysicam, adeoque intentionalem, cum fundamento in re procedentem, hoc autem non arguit ullam distinctionem actua-lem, distinguuntur autem homo & risibile actu nemine cogitante, per sola connotata extrinseca, sed hæc connotata fundant distinctionem principii Metaphysici, & passionis Metaphysicæ, cumque dandi huic quidem rationem principii, huic rationem passionis, detur fundamentum nemine cogitante, non demonstramus concipi tantummodo arbitrariè, hoc esse passionem, illud principium, sed ratione fundamenti habiti; licet non sit principium actu distinctum nemine cogitante, à sua passione.

Pensanda hic veniunt auctoritates Arist. quas adducit Maffrius.

I. Locus. 4. Top. c. i. dicit Aristoteles. Ens & unum distinguuntur ratione quidditativa.

RESPONDETUR. Concedo, quia distinguuntur ratione diversæ definitivæ, sed nego id esse nemine cogitante, quod etiam modo explicari debet locus ex 5. Rhet.

II. Locus. 3. Metaph. t. to. dicit genus esse extra rationem differentiarum.

RESPONDETUR. Etiam hic locus intelligendus, quod definitio entis, non sit propria definitio differentiarum.

III. Locus ex 3. Physic. t. 21. ubi ait passionem & actionem ratione distingui.

RESPONDETUR. Illa duo definitionibus distingui.

IV. Locus est ex 3. Ani. t. 3. quod aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse.

RESPONDETUR. Illic loqui Arist. de distinctione essentiae & existentiae, quod illa sit æterna, hæc temporalis, ex quo non arguitur distinctio actu ex natura rei, secundum alias præexplicata.

V. Locus est ex 7. Metaph. t. 20. 21. & 41. ubi docet, quod in abstractis à Materia, id est, quod quid est, cum eo cuius est, in conceptu autem cum materia, non esse idem.

RESPONDETUR. Per quod quid, intelligitur forma, quæ in abstractis à materia non distinguitur realiter, secus in materialibus.

ASSERO I. *Nomine distinctionis Ratiocinatae non esse intelligendam distinctionem*, ut ait Suarez di p. 7. Sectione i. num. 4. *quæ præexistat antequam intellectus ratiocinetur*, & quæ sit quasi ex se ratiocinata, utque solum requiratur ad illam cognoscendam intellectus, non verò faciendam, hæc enim jam esset distinctio Scotistica, sed distinctio Rationis Ratiocinatae, est distinctio cum fundamento in re, seu quæ sit ab intellectu præscindente objectivè.

ASSERO II. *Distinctionem rationis ratiocinantis esse distinctionem, quæ sit sine ullo fundamento in re, sed ex solo nostro concipiendi modo, aliter & aliter rem concipientem*. Explicat hoc idem Suarez. Illa censetur esse distincta ratione ratiocinante, quando in duobus conceptibus semper adæquatè idem concipitur, estque tantum quædam repetitio & comparatio apprehensionis de objecto, ad aliam apprehensionem. Et ita distinguuntur Petrus pro prædicato positus, à seipso posito pro subiecto: Quod si in duobus conceptibus eadem Entitas, sed per inadæquatos conceptus objectivos attingetur, ista distinguuntur distinctione rationis ratiocinatae. Et ita quando concipio animal quod est in Petro, non concepto rationali, conceptus iste est inadæquatus, nec secundum totum esse Petri, qui præter animal, importat etiam rationale, hincque fiet, ut animal & rationale, distinguantur ratione ratiocinata.

Quod si quæras, quæ sit regula cognoscendi, quæ non distinguantur distinctione rationis ratiocinatae? quæ distinctione rationis ratiocinantis? idem dicendum erit quod dictum de iis, quænam objectivè præscindere possint quæ non.

ASSERO III. *Distinctionem Rationis ratiocinatae & rationis ratiocinantis bene posse salvari per sola Connotata*; ita ut res ipsa prout connotat fundamentum in re, suæ alietatis, censetur esse distincta ratione ratiocinata, & res prout connotat alietatem ortam ex alio & alio modo concipiendi, censetur esse distincta Ratione ratiocinante.

COLLIGES. Admitti posse, distinctionem ex Natura rei actualem inter rationes communes, jam in statu præcisionis & abstractionis spectatas. Rursus admitti posse distinctionem ex Natura rei, eamque nemine cogitante, sed non actu inter animalitatem & rationalitatem Petri, idque